

Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e) Author(s):	Kratzenstein, Christian Gottlieb.; Christianus Gottlieb Kratzenstein.
Titel Title:	<u>Christian Gottlieb Kratzenstein Historiam restitutæ loquelæ per electrificationem recenset simulqve ad praelectiones suas...</u>
Alternativ titel Alternative title:	Historiam restitutæ loquelæ per electrificationem recenset simulqve ad praelectiones suas academicas invitat.; Historia restitutæ loquelæ per...
Udgivet år og sted Publication time and place:	Havniæ, 1753
Fysiske størrelse Physical extent:	8 s.


DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





KRATZENSTEIN
HISTORIA
RESTITUTÆ
LOQVELÆ

13. - 212.



DET KONGELIGE BIBLIOTEK



130020701685

CHRISTIANVS GOTTLIEB KRATZENSTEIN,
MEDICINAE ET PHYS. EXPERIM. IN ACAD. HAVN. PROFESSOR.
ACADEMIAR. IMPERIAL. PETROPOL. ET NAT. CVRIOSOR. MEMBRVM,

HISTORIAM
RESTITUTAE LO-
QVELAE

PER
ELECTRIFICATIONEM
RECENSET

SIMVLQVE
AD PRAELECTIONES SVAS ACADEMICAS
INVITAT.



HAVNIÆ,
ANNO MDCCLIII.

MEMORIAM
HISTORIAM
MATH. TAYLOR
DE
VITA ET REBUS
PUBLICIS
MEMORIAM

Imprimatur.

J. P. ANCHERSEN. Dr.



ANNO DOMINI



§. I.



Decem fere anni iam sunt transacti, ex quo epistolam publicam de usu electricitatis in medicina ad Cl. Faber, medicum württembergensem conscripseram. Observationes quaedam de actione vis electricae in corpus humanum, in motum sanguinis & transpirationem primam animo instillabant huius rei ideam, quam deinde ex natura effluuiorum electricorum, omni studio indagata, ulterius perficere & in ista epistola publico exponere conabar. Minime enim absolum est in medicina, ex cognitis materiae cuiusdam partibus constitutivis secundum analogiam a priori iudicare, qualem effectum ea in corpore humano edere queat. Ea praecipue intentione concinnaueram hoc scriptum, ut eo medicinae peritis occasionem darem propriis experimentis indagandi, quatenus praxis theoriae responderet, quatenusue illa ab hac recederet. Et si in vnico tantum malorum, quae nominaueram, electricitas efficax deprehenderetur, laborem meum non inutilem iudicari posse sperabam. Sed, quot cauillationibus, quot sarcasmis hoc nouum propositum medicinae genus excipiebatur? Elatioris animi homines, qui illud omnes latere confidunt, quod ipso latet, me acriter castigabant, quod effectus medicos materiae electricae a priori deducere conatus essem, cum tamen indoles huius materiae plane adhuc incognita sit. Remissioris animi arbitri, quibus nihil nisi nouitas & subtilitas rei offensionem erat, neque vllum usum medicum inde sperabant, si etiam natura effluuiorum electricorum apprime foret cognita. Non enim erat medicina palpabilis. Haud quidem improuisum & inexpectatum mihi erat hoc fatum, infiniti tamen & immodesti insultus & vellicationes, quos huius scripti causa omni occasione excepi, tantam demum mihi mouebant nauseam, ut omnes deinde sermocinationes hac de re & totam arenam electricam angue peius fugerem. Ad martyrii enim coronam in hac arena merendam nullum in me stimulum sentiebam. Priuatas cauillationes silentio praeteriens, publicas tantum nonnullas vellicationes adducam. Auctor opusculi cuiusdam de Electricismo, quod Venetiarum a. 1746 prodiit, curationes grauiorum morborum per electrificationem narrationes liliputianas nuncupat. Electrica effluuia ad materiam medicam referri posse, ridiculis similibus, quae admodum claudicant, impugnat. Cl. Bossii amicus, Bossio venerandus, dum Cl. Bossium, ut aliorum periculo cautus

cautus euadat, monet; tamquam exempla adducens inquit: — « — "Electricitate panaceae ad instar cuiusuis generis congestiones, cephalalgias, catarrhos — « — "& ipsam pestem tollere velle — « — « — haec tyronis non veterani sunt. Non volui tollere, sed commendavi vsum. Praeterea, propria significatione non tamquam iniuriosum illud iudicium excipio: haec consilia fuisse tyronis non veterani, nam reuera tum temporis eram tyro, & per biennium modo academicus. Spero autem, venerandum Bossii amicum pariter non tamquam iniuriam excepturum, si similiter iudico: auctoritate quasi papali theses ex euentissimis rationibus deductas absque vllis rationibus in contrarium adductis despiciatui exponere & reicere, hoc omnino veterani est, non tyronis. Malo autem sub hac characteristica esse tyro, quam veteranus.

§. 2. Hoc medicinae electricae fatum per duas adhuc duravit olympiades. Nonnulla quidem tentamina interea facta sunt. Sed quoniam vel non modo legitimo vel neglecta debita circumspectione & praeparatione erant instituta, effectus raro respondit optatus. Lutetiae Parisiorum in nosocomio octo paralytici electricabantur. Nullus restituitur. Non videtur vero vllum respectum esse habitum ad aetatem, ad causam paralyseos, (nam si ea e.g. propter laesionem viscerum orta, qui electricitas hanc curabit) ad praeparationem praemittendam & ad regimen seruandum, neque constat, qua ratione ipsa electricitas sit adhibita. Epicedium nihilominus hinc medicinae electricae dictum. Alii nunc resinas laxantes ialappae & scammonii, nunc olea destillata, nunc essentias vitris incluserunt & his ad electricationem adhibitis particulas resinae laxatiuas, effluuiq; aromatica per poros vitri transpellere & sic vna cum electricis effluuiis cum intimis corporis humani visceribus communicare conati sunt, sed itidem vel nullo vel imaginario effectu insequente. Noua hinc valedictoria. Sed quis quaeso rationali modo expectabit, particulas resinarum laxantium integras per poros vitri transaturas fore. Resinae laxantes constant ex acido vegetabili, quod subtiliori terrae calcareae intermixtum & inde non nihil causticum redditum, per particulas oleosas vero admixtas modice hebetatum est. Horum ingredientium nullum, si solum adhibetur, effectum proprie laxantem exserit. Requiritur in complexu. Effluuia quidem acida ex hisce resinis per adtritionem expulsa cum paucis particulis inflammabilibus sociatis per poros vitri facile transibunt. Sed haec non laxantis sunt indolis. Deest principalis associatio terrae calcareae. Hanc vero per vitrum transire posse, nulla adhuc docet experientia. Dentur vero laxantia, quorum effluuia subtilissima electricatione expulsa similiter laxatiuae sint naturae, si in sola intestina agunt. Haec tamen, simulac vniuerso cum corpore communicantur, nullatenus effectum laxantem exserent. Proprie effectus laxans obtinetur, si leni vellicatione in intestinis excitata, adfluxus humorum copiosus eo dirigitur. Quum vero haec vellicatio vel irritatio vniuersum corpus adficit, tantum abest, vt inde effectus laxatiuus expectari possit, vt is potius, si per aliud consuetum laxans excitatus fuerit, ea infringi debeat. Directio enim specialis humorum tum in generalem commutabitur.

§. 3. Posterioribus deniq; annis, relictis hisce compositionibus, simplex methodus electricandi iusta cum circumspeditione adhibita, ad plures morbos, praesertim rheumaticos, arthriticos & paralyticos sanandos de meliori sese commendare coepit. Cl. Teske, Professor regiomontanus, indubia cum publico communicauit specimen effectus salubris, quem in variis morbis ex electricatione ipse obseruauit. Relationes ipsius instar diarii medici sunt concinnatae, omnemq; suspensionem credulitatis & fallaciae ex imaginatione remouent. Nosocomii petropolitani experientissimus medicus, Cl. Crusius, medicinae electricae egregios in amaurosi adnotauit effectus, qui occasionem dederunt, vt cancellaria medica petropolitana publicis sumptibus machinas electricatorias suppeditauerit ad electricas curationes omnibus cum cautelis suscipiendas. Illustre, quod hic Havniae floret, collegium medicum, cui incrementum medicinae admodum curae cordique est, secretario eiusdem collegii demandauit, vt dirigentibus quibusdam membris eiusdem generis tentamina sedulo in loco publico instituat, & euentus cum omnibus circumstantiis diario inserat. Post breue tempus itaq; certiora procul dubio de effectibus medicinae electricae plus minusue salutaribus constabunt.

§. 4. Morbos curare est causam eorum & remotam & proximam tollere. Cui itaq; electricationem ad morbos sanandos adhibere placet, ex natura effluuorum electricorum prius diiudicet, an inde causa morbi dati, in quam diligenter inquirat, remoueri possit nec ne. Ad naturam vero effluuorum electricorum, quod adinet, ex principiis chemicis, nullo relicto dubio, demonstrari, *) haec effluua constare ex acido vel vniuersali, vel nitroso, vel salino, vel vegetabili, prout diuersa electra adhibentur, combinato cum paucis particulis terrae inflammabilis & interdum etiam metallica. Acidi & terrae inflammabilis consortium indicat eorum inflammabilitas. In genere enim stabilire licet, omnia inflammabilia, quatenus inflammabilia, constare ex acidi & terrae inflammabilis conjugio. Quando enim excitato motu intestino acidum terram inflammabilem intime & violenter resoluit, flamma oritur, vel potius ipsae partes sub resolutione flammam exhibent. Acidi in specie praesentiam vis horum effluuorum in coloribus mutandis indicat & sapor, quem Cl. Bofius reperit subacidum & propter admixtas particulas metallicas simul subadstringentem. Prioris & posterioris principii consortium quoq; prodit odor alliaceus. Non quidem me fugit, plerosq; effluua electrica pro singulari vel aetherea quadam materia habere, quae in omnibus corporibus, in aere & vbiuis obuia sit & sub electricatione tantum in motum concitetur. Sed nec me fugit, plurimos dari physicos, quibus propter minus cognita genuina principia chemica analysin horum effluuorum legitimam instituere & eorum compositionem ex characteristicis cuiusq; principii cognoscere non licet. Praeter naturam partium-constitutiuarum in epierisi etiam ad reliqua momenta cum electricitate coniuncta erit attendendum. Horum primum est, quod fluidum hocce sit subtilissimum, momento omnes vias penetrans; id quod ipsi praerogatiuam prae omnibus sui generis medicamentis tribuit. Alterum est corporum electricorum vis attractiua & certis sub circumstantiis repulsiua, vnde ratio transpi.

*) In theor. electricitatis. Ao. 1746.

transpirationis aëtae, nimirum ex repulsis celeriter vaporibus e corpore nostro exeuntibus, cognoscitur. Tertium deniq; in contremiscentia partium ex scintillarum prouocatione oriunda consistit. Cognitis hisce, ex therapeuticis fundamentis constabit, quid singula momenta vel separata vel combinata in oeconomia corporis humani efficere valeant, quid nequeant. Hinc consilium capiat, qua ratione pro diuersitate subjecti conuenientissime & tuto electricitas adplicanda sit, num sola tantum sed continuata diu electricatio absq; scintillarum prouocatione sufficiat, vel an potius moderata earundem excitatione in loco quodam opus sit, vel vtrum fortior partium contremiscentia & medullarum commotio requiratur. Omnes gradus enim vis electricae facill negotio obtinere licet. Priorem gradum maxime conuenientem esse iudico in casibus, vbi transpirationis augmentum & toni universalis roboratio requiritur. Alterum gradum ad congestiones deriuandas & tertium ad paralyticos restituendos commendo. Ante omnia vero, prout morbus id exposulat, praeparatio corporis per medicamina generaliora blande laxantia & venae sectionem erit praemitenda.

§. 5. Cui constat, quanti momenti transpirationis sic dictae insensibilis promotio & ad sanitatem conseruandam & ad restituendam sit habenda, is hoc solum respectu, si nulla alia ratione conuictus fuerit, de praestantia medicinae electricae nullus dubitabit. Hanc vero transpirationem intra horae spatium de $\frac{1}{7}$ librae ad $\frac{1}{4}$ lb per electrificationem augeri, statera sanctoriana me iam ante plures annos docuit (*). Et idem augmentum Cl. Nollet nouissime in animantibus & vegetabilibus in genere & constanter adnotauit, immo tabulas accuratissimas obseruationum suarum suppeditauit (**). Adeo, vt hic effectus extra omnem dubitationem iam sit positus. Non est itaq;, quare respectu tituli panaceae (§. 1.) me reuocem & palinodiam canam.

§. 6. Vnicum semper dolui & dolebo medicinae fatum. Fatum, quod incremento huius scientiae quam maxime obstat, & quod Hippocrates laconico stilo ita exprimit: *experimentum fallax, iudicium vero difficile*. Difficillima enim res est in curationibus medicis euentus & curationes accidentales ab effectibus medicamento- rum discernere. Febre laboranti propinatur per aliquod tempus antifebrile. Febris successiue cessat. Num hic effectus necessario medicinae adscribendus? Neutiquam. Febres enim saepius absq; medicina cessant. Nullus fere datur casus, ubi hoc quam maxime probabile concludere licet, nisi vbi sub ipsa adhibitione malum aliquod statim tollitur vel lenitur, quod secundum consuetum naturae cursum non tam subito finiri solet, quod diu iam durauit, vel vbi nulla spes spontaneae curationis praesto est. Non ingratum itaq; Philiatris & euriosis officium me praestitutum fore spero, si tamquam certissimum de praestantia medicinae electricae documentum hac occasione historiam indubiam cum publico communicauerim, vbi grauissimus, pertinax immo

*) Vid. Theoriam diabetae Ao. 1746. editam §, 46.

**) In Memoir. de l'Acad. d. Sc.

immo conclamatus adfectus, nimirum paralyfis linguae, cum totali priuatione vocis articulatae vel loquelae conjuncta, sub ipsa electrificatione euidentissime fuit sublatus.

§. 7. Ne vero quis iterum hanc historiam pro relatione liliputiana habeat, indicandum erit, experientissimum medicum dorpatensem, *Cl. Paulsohn*, mecum olim in academia halensi commilitonem, virum modestissimum, magis incredulum quam credulum & ab omni histrionia & magniloquentia remotissimum, huius notabilis curationis esse auctorem. Ex eius epistola, ad amicum petropolitani magni nominis hac de re conscripta, praecipua momenta hic referam

Jacobus Paulowiz Nobokoce, iuuenis 30 annorum, natione Ruffus, ladogensis, ante 6 annos grauissimo morbo, (*procul dubio febre maligna*) laborans, omni loquela & sensatione in latere dextro priuatus, h. e. paralyfi linguae & lateris dextri adfectus fuit. Hunc miserrimum hominem a. p. mense Nouembri ad me accersui, tentaturus, num ipsi solatii aliquid asserre possem. Brachium ipsius dextrum erat rigidissimum, exsiccatum, circum pectus incuruatum & omni extensionis & sensationis facultate destitutum. Ossa sola cute videbantur vestita. Manus aequabat manum pueri 10 annorum. Digiiti erant incuruati, neq; vi adhibita explicandi. Eiusdem conditionis erat pes dexter. Vnde claudicans baculo innixus incedebat. Huic paralytico per tres hebdomades primum generaliora & praeparantia medicamina propinaui. Deinde quotidie per horam electrificabatur. Primis diebus nullam scintillarum crepitationum in paralyticis membris sensationem experitur. Post paucos dies vero in manu scintillarum tremorem sentire coepit. Die nono mater filium ad me ducens magno cum gaudio annunciauit, loquendi facultatem sese aliquo modo ostendere; filius vero loqui iussus vix tempore 5 minutorum verba: *Maria Bochorodiza*, magno cum labore & difficultate pronunciare valebat. Simulac vero electrificationi erat subiectus, eadem verba absq; mora & difficultate enunciauit, immo maxima cum adstantium admiratione hymnum ecclesiasticum canere coepit. Quum ab electrificatione desisterem, linguae volubilitas statim periit, eaq; quasi vinculis ligata faucibus haesit. Vno verbo, prior difficultas redibat. Quoties vero de nouo electricis effluuiis cingebatur, toties quoq; loquendi facilitas erat restituta. — " — Jam per repetitam saepius electrificationem eousq; conualuit, vt ea facilitate loquatur, quae nemini suspicionem de priori paralyfi mouere queat. Brachio, manui & pedi sensatio naturalis & extendendi facultas restituta est & successiue carne vestiti & finistris membris fere similes facti sunt. Incedit rectus absq; fulcimento. Digiiti solummodo nondum plane reflexi sunt. Neq; hoc silentio praetereundum est, quod, licet paralyticus per totam hyemem, durante curatione, per potioem diei partem, res culinarias vendendo, frigori expositus fuerit, electricitas nihilominus tam egregium tamq; citum praestiterit effectum. — " — Hic casus non est vnicus, qui me de vtilitate medica electricitatis conuicit, sed praeterea eiusdem in laesione auditus ex partium atonia salutarem effectum plus vice simplici expertus sum.

§. 8. Ex supra memoratis fundamentis (§. 4.) *epicrisin* huius casus haud difficultos

culter formare licet. Perinde nobis erit, num huius paralyseos causam in obstructione neruorum per metastasin febrilem, vel in stulta desertione naturae, imbellis, puidae & propter malignitatem morbi desperabundae consistere supponamus. Ad vtrumq; enim electricitas medelam asserre valet. Si prius, fluidum electricum, poros vitri facile penetrans, subtilius est ad neruorum canales celerrime permeandos & propter resoluentem suam qualitatem, est enim acidum temperatum, referandos, quam quidem ad hoc negotium requiritur. Si posterius, per intimiores irritationes, vellicationes & tremores ad medullium usq; penetrantes, quos scintillas eliciendo excitare valemus, natura ex latebris suis melius prouocari poterit ad loca derelicta & officia sua iterum subeunda, quam vilo alio consueto remedio e. g. caustico, escharotico, vesicatorio & punctura; quae tamen remedia in leuiori & recentiori malo non raro membra paralytica ad pristinam vitam reuocare valent.

§. 9. Haec pauca praefari non iniucundum fore duxi, cum munus Professoris medicinae & physices experimentalis a *POTENTISSIMO ET SAPIENTISSIMO REGE* nostro mihi clementissime demandatum jam requirat, vt Nobilissimis huius academiae Studiosis praelectiones meas quam proxime suscipiendas publice declarem. Huic officio, vt, quantum pro viribus licet, iatisfaciam, proximo die Lunae, nimirum die XV Octobris hor. II-III pom. initium faciam praelectionum in *physicam dogmatico experimentalem*. Hor. III-IV. *Cursum medicum* praelegam biennio absoluendum. Hor. IV-V *Chemiā* docebo *dogmatico experimentalem*, vbi ad operationes metallurgicas, pharmaceuticas & curiosas rationali modo peragendas & intelligendas manuducam. Deniq; diebus Saturni Hor. II-III *Collegium* aperiam *disputatorium*, in quasuis *medicinae & physicae* partes. Nobilissimos igitur Academicos omnes ac singulos, Commilitones meos honoratissimos, ea, qua par est, obseruantia rogo atq; inuito, vt praelectiones meas physicas, philiatros vero & curiosos speciatim vt lectiones medicas & chemicas frequentia sua honorare eaq; nouos ignes in animo docentis excitare velint. *Primis horis lectiones physicas* varias ob rationes in auditorio academico publico habebō, quibus finitis, isti, qui lectionibus medicis & chemicis interesse cupiunt, in eodem loco vt mecum hac de re colloqui & consilia capere velint, est quod rogo,

Dabam Havniae, D. X. Octobris, M DCCLIII.

